



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Legia Catholica**

**Roberti, Johannes**

**Leodii, 1633**

17. Cura pro Mortuis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64596)

ticum illum quidem) se recipi paritur. At ubi vidit, quid moliantur; iterum ab undoso flumine præsidium quærit. Nauiculam igitur totius corporis agitatione ipsa exagitans, tandem impacto ad saltum graui-ter pede, euertit, & seque & illos, in aquas, seruatrices suas, excutit. O Magnus Deus, puritatis Seruator, libidinis vindex! Merguntur impuri: ipsa innocens ripæ innoxia sistitur, Liberatori suo laudes, gratulabunda, cælo, & terrâ plaudentibus, decantans.

### 17. *Cura pro Mortuis.*

**H**ic, si homines tacuerint, LAPIDES CLAMABVNT. Inspiciantur, inquam, marmorea, & saxea Monumenta: &, si lubet, interrogentur. Quamuis  
muta

muta, clamabunt tamen, Leodiensis Ecclesiæ Filios, omni ævo. ita fidelium defunctorum memoriam, gratis animis, coluisse, ut etiam pro iisdem, purganti igne cruciatis, Sacrificia, & Preces Deo studiosè obtulerint. Et ut etiã Æra audiamus, & spirantia, & quâuis tubâ vocaliora, Mausoleum illud tantum attendamus, in Æde Cathedrali Leodiensi. Regiã magnificentiã, ab immortalis memoriæ Antistite à Marka erectum. Probabimus in eo, non magis Dædali Artificis diuinam manum, quàm Principis pietatem æmulam Magni illius Iudæ Machabæi, qui *Benè, & religiosè de Resurrectione cogitans duodecim millia drachmas argenti, misit Ierosolytam, offerri pro peccatis*

MOR-

MORTVORVM SACRIFICIUM  
 2. Mac. 12. Addamus conclu-  
 sionem, & oraculum Diuinum,  
 quod addidit Diuinus Histori-  
 cus: *Sancta ergo, & salubris*  
*est cogitatio, PRO DEFVN-*  
*CTIS EXORARE, vt à pecca-*  
*tis soluantur.*

Hanc tam sanctam, & salu-  
 brem cogitationem, semper ha-  
 buerunt Catholici Leodienses,  
 non modò Episcopi, sed & cæ-  
 teri è Clero, & Populo: vt cuius  
 perspicue palam est, qui hodie-  
 que videat tot Missarum Sacri-  
 ficia, & à Defunctorum co-  
 gnatis, amicisve, peti; & à Sa-  
 cerdotibus offerri: qui Fune-  
 brem Pompam consideret; ijs-  
 dem maximè Sacrificijs, cantu  
 Ecclesiastico, precibusque ce-  
 leberrimam: qui tot Epitaphia,  
 in Ædibus, Cœmeterijsque sa-  
 cris,

cris, aspiciat; in quibus ut plurimum solemnis illa, ad extremum formula: *Requiescat in pace*; aut, *Orate pro eo*. Postremò, qui attendat, non tantum in funere, & exequijs, preces, & sacrificia frequentari: sed & mox à funere, in *Quadragesimos dies*, Defunctis sacrificio quotidiano parentari, & nõ raro, *Anniuersario* obitus die, vel in longissimum tempus; vel in perpetuum, eadem sacra frequentari.

Neque hæc noua sunt. Omni seculo exempla sunt obuia, & *Fundationum litteræ* producuntur. Pauca ex superioribus repetamus. Celeberrima in hoc genere, est historia *S. Monulphi*, qui cum intelligeret, Principis cuiusdam animam, ad longiores cruciatus, in purgatorio

rio

rio igne damnatam, populum ardentem hortatus, ut orationibus, ieiunijs, & eleemosynis subuenirent, id poenarum, iunctis & ipse suis, Deo vota audiente, contraxit.

*Notgerus*, inter Leodienses Antistites clarissimus, *Defunctorum* memoriam, à S. Odilone Abbate, postridie Kalend. Nouemb. institutam statim in suam Ecclesiam transtulit.

Baldricus Arnulpho Comiti preces, & Sacrificia pro Defuncto pollicitus est, & quod promiserat, largiter præstitit.

*Erardum à Marka* antè laudauimus. Is in S. LAMBERTI Cathedrali Ecclesiâ, Anniuersarium sacrum, pro se Defuncto celebrari voluit omnibus futuris temporibus: quod hætenus quotquot annis, celebri pompa perennat.